

conseruet, ne membranarum duritie afficiatur, tertius ut visuales spiritus ad glacialis illustratio- nem contineat, patet ergo ex his, quodnam sit proprium organum potentia visua, nempe pupilla, idque ex mente Aristotelis: per pupillam autem intelligit Aristoteles humorem Crystallinum, descriptionem ceterarum partium oculi utpote ad hoc institutum non facientem, vide apud Medicos, nam Philosophicos egredi limites non intendimus.

Partitio X.

De obiecto potentiae auditiva.

Dignoscuntur potentiae cognoscitiae à nobis, praesertim per sua obiecta, secundum autem Aristotelem, & omnes Philosophos nullum aliud est obiectum potentiae auditiva, nisi sonus, quare circa explicationem soni communiter immorantur Animatici, pluraque inquirunt, & nos cum ipsis.

Hæc itaque inquirere solent: *Primum*, an sonus sit quid distinctum à motu? *Themistius* secundo de anima vult sonum esse motum corporum scie collidentium.

Secundum: quotnam corpora requiruntur ad productionem soni?

Tertium: In quonam subiecto subiectetur sonus, postquam est productus, an videlicet in corporibus sonantibus v.g. in ipsa campana, an in corpore vicino, utputa in aere? nonnulli re- tent subiectari in ipsa campana; alij in aere; alij in vitroque.

Quartum: Quodnam sit medium, per quod deferuntur sonus? Avicenna tenet esse sonum aërem ita, vt per nullum aliud corpus defereatur sonus.

DECISIO.

*Nam. 41.
Sonus non est
motus, sed
qualitas par-
tim successiva,
partim permanens.*

Resolutio. Sonus non est motus, sed qualitas essentialiter distincta à motu, qualitas, inquit, partim successiva, partim permanens. Due sunt partes resolutionis, quarum *prima* probatur *primo*: Commune sensibile esse, et distinguitur à sensibili proprio, sed motus est sensibile commune, & sonus sensibile proprium, ergo sonus, & motus essentialiter distinguuntur, maior, & minor patent. *Secundo*, quæ in diuersis collocantur prædicamentis, illa differunt specie: sed motus, & sonus in diuersis sunt prædicamentis, ergo differunt species, nam sonus ponitur in prædicamento qualitatis, & motus est quid transcendentis. *Tertio*, Nihil fit à seipso: sed sonus fit à motu, ergo sonus non est motus: maior est recepta, quod vero sonus fiat à motu, experientia compertum est.

Altera resolutionis pars probatur, & quidem quod sonus sit quid successivum; quia eodem modo producitur, quo se habet motus, cum producatur per motum, sed motus est successivus, ergo & sonus, quoad sui productionem, erit successivus, quoad sui item dectionem erit successivus; nam paulatim sonus languescit & successivè, antequam omnino intereat, vt etiam experientia nos docet, habet tamen sonus permanentiam quamdam, idque exprimir; nam idem sonus *primo* percipitur ab alijs, qui sunt pro-

pè: deinde ab alijs magis distantibus; nisi autem haberet aliquam permanentiam, non audiretur hoc modo, sed eodem instanti ab omnibus simul deberet percipi.

Obiecti tamen solet contra *primam* partem resolutionis *primo*: Illud producitur à motu locali, quod est terminus motus localis: sed sonus non est terminus motus localis, terminus enim motus localis est ipsum *Ubis*, ergo sonus non producitur à motu locali, nec à fortiori ab alijs motibus.

Respondeo duplē posse considerari ter. *Responsum*: minūm cuiuslibet caula, vnu est terminus per se, & primarius: alter terminus per accidens, & secundarius, v.g. calcificatio est terminus primarius ignis, induratio verò lutis, & liquefactio cerae sunt effectus, seu termini secundari ipsius ignis, in motu ergo locali terminus primarius est ipsum *Ubis*: sed hoc non impedit, quin motus localis habeat terminos secundarios, & per accidens, vt est sonus, vnde non concludit argumentum.

Obiectū *Secundo*: Omnis qualitas vera, & realis debet denominare suum subiectum: sed sonus non denominat suum subiectum; nam sonus v.g. existens in aere non denominat, nec facit, vt aëris dicatur sonorosus, ergo sonus non est vera aliqua qualitas distincta à motu.

Respondeo concedendo maiorem de qualitate omnino permanente, & negando de qualitate transiente; licet enim rubedo causata ex verecundia insit faciet, non tamen denominare solet faciem rubicundam, quia illa rubedo statim transit, vt ergo aliqua qualitas denominet suum subiectum, debet ipsi inhäretur per modum habitus, seu permanenter: at sonus non durat multum, vnde sit, vt non denominet suum subiectum sonorum.

Resolutio secunda. Tria corpora requiruntur ad productionem soni: Ita communiter Philosophi, & probatur: sonus causatur per collisionem: sed collidit non sit, nisi inter duo se collidentia, iam ergo requiruntur duo corpora: deinde impossibile est, quod duo corpora se collidentia immediatè se collidant, sed semper est aliud medium corpus interceptum, ergo erunt tria corpora in productione soni.

Ex quo infertur, quod si duo lapides in vacuo se colliderint, nullum edent sonum, quia ibi nulla est resistencia in ipsa collisione, nempe nullus aëris intercepitur; nam tamen omnis motus localis causat sonum, sed ille qui fit cum aliqua resistencia ex parte corporis intercepti, in vacuo autem nulla est talis resistencia.

Aduerti tamen non esse necesse illa tria corpora semper esse inter se realiter distincta, & hoc patet, v.g. quando aliquis virga percuteat aërem, ibi sunt tantum duo corpora distincta realiter, nempe virga, & aëris, & tamen aëris vises duorum corporum subit. Nam aëris proximus percutientis virgæ tenet locum corporis intercepti, at aëris a tergo tenet locum corporis collidentis, necessaria ergo sunt ad sonum edendum tria corpora, sive illa sint discontinua, & distincta, sive non, vt in exemplo virgæ aëris percutientis.

Resolutio